

7. Sekundärliteratur

Historiae Collegii Philobiblici Lipsiensis Pars 1.

Illgen, Christian Friedrich

[Leipzig], 1836

Collegii Philobiblici leges, conditae primum Anno M. DC. LXXXVI.,
inscriptae vero consulto Anno M. DC. LXXXVII. Mense Novembri.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

*blicum*¹⁹⁾. His literis sodales, inter quos maior iam et literarum sacrarum amor et in ipso exercitio ad pios usus accommodando intelligentia apparere coeperat²⁰⁾, haud dubie in deliberationem adducti sunt²¹⁾, ad quas leges haecce societas esset formanda, quo uberiores fructus exemplo aliarum in Universitate Lipsiensi societatum ad seram usque aetatem ferre posset. Ex qua deliberatione paulo post, certe ultimo anni 1686. quadrante²²⁾, leges natae sunt ad Collegii, modestiae causa nunc *Philobiblici* nomine appellati, pia exercitia satis idoneae, quae in rationario antiquissimo ita leguntur:

COLLEGII PHILOBIBLICI LEGES,

*conditae primum Anno M.DC.LXXXVI., inscriptae vero consulto
Anno M.DC.LXXXVII. Mense Novembri.*

In Nomine DEI Patris, DEI Filii, DEI Spiritus S., Unius et Solius Veri DEI,
Domini nostri Benedicti in secula seculorum. AMEN!

Factum est Benigni Numinis gratia, ut A. O. R. M.DC.XXXVI. d. XV. Iulii quidam in Academia nostra LIPSIENSI degentes Magistri instituendae cuiusdam Societatis ceperint consilium, qua in solius DEI TRIUNIVS Gloriam, in novi hominis, pia eruditionis theologiaeque²³⁾ exegeticae Incrementum, nec non in Exemplum sanctae conversationis, certo tempore sacri BIBLIORUM fontes tam Veteris quam Novi Testamenti legerentur, exponerentur et varios in usus converterentur. Gratiae vero coelestis fini honestissimo CHRISTI promissione affuturæ certissimi, deliberavimus

19) His verbis argumentum epistolae ad M. P. Antonium de studio Biblico, quod aliqui ap. M. P. A. convenientes habeant, datae in schedula indicatur. Epistolam ipsam vide in Appendice I. A.

20) Spenerus, *Wahrhaftige Erzählung*, p. 36.

21) Leges ipsas ad consilia, quae his literis continentur, ex parte conformatas esse, nemo non videt.

22) Leges Collegii non anno demum 1687. mense Novembri datas esse, praeter causam iam p. 10. allatam tum *tabula votiva* d. 26. April. 1687. Antonio dedicata, tum *enarratio Biblica* d. 29. Iun. eiusdem anni a. Franckio recitata docent, quippe quae (Vid. Append.) illas iam respiciant; hoc autem, quod indicavi, tempore scriptas eas esse, et quidem praeside Collegii nondum electo, quamvis verba Speneri paulo negligentius eam rem narrantis contrarium significare videantur, dubium esse nequit, cum non solum Antonius l. c. p. 28. 29. ad annum adhuc 1686. diserte eas referat, verum etiam rationes ultimi quadrantis eiusdem anni et rationarium et librum Actorum memorent, scripta utique post leges latas admodum necessaria.

23) Verba: *verae ac vere*, alia manu supra lineam serius scripta, nec habet Spenerus l. c. p. 37. nec Antonius l. c. p. 30. 124., hunc Collegii finem afferentes.

simul, qua ratione Collegium hoc PHILOBIBLICUM (id enim modestiae vocabulum placuit) ordinari commodissime et ad posteros exemplo aliarum in hac Universitate societatum transmitti queat. Cuius deliberationis sequentia pro ratione loci et temporis nostri, *τάξεως καὶ ἐνσχημοσύνης* ergo, constituta sunt pauca capita, quae ut augeri cum tempore prudenter possunt, ita ne rescindantur temere, quae semel placuere in medium mature consulentibus, et omnium firmata sunt subscriptione, a successoribus, si qui futuri sunt (ut sane dubitamus nulli), precamur obnixae. Reliqua definientur consulentium Collegarum arbitrio, aut rationabili consuetudine.

I.

Convenietur singulis diebus Mercurii²⁴⁾ ordinarie, in museo primi ordine Collegae, nisi Collegio vel ipsi locus alius videatur commodior (qualem a die 16. Febr. 1687. Magnifici Rectoris, DN. D. Valentini Alberti favore singulari accepimus)²⁵⁾, ac ab hora statim vespertina quarta ad finem usque sextae sacro labori iunctis viribus insistetur, ita ut initium omnino finisque precibus fiat devotissimis, sine quibus ad vivam illam ac salutarem Theologiam et unctionis donum pertingere nequaquam licet. Fieriis facile locus non dabitur; quodsi tamen pia causa aliqua eas extorserit vel necessitas, pensare eas extraordinario conventu, quantum licuerit, studebimus.

II.

Lectores ordinarii, cuiuscunque Academiae Magistri, sunt duodecim. Octo Graecos Novi, quatuor Hebraeos Veteris Testamenti praelegant fontes. Statutum enim est ex consilio Theologi piissimi exercitatissimique, circa ipsa instituti nostri initia Saxonici Ecclesiis divinitus donati (cuius et literas in memoriam asservamus)²⁶⁾, ut N. T., salva divinae utriusque auctoritatis aequalitate, plus illo sibi vindicet temporis. Ac adeo tertio quoque conventu s. homilia, cum bis fontes Graecos excusserimus, Hebraei demum praelegentur, utrique ad utriusque Systematis Biblici ordinem

24) Cum leges hae, ut vidimus, iam anno 1686. constitutae essent, quo Collegium praeside adhuc carebat, collegae non, ut Spenerus l. c. p. 37. eumque hac in re sequentes theologi, v. c. Walch l. c. T. I. p. 567., Guericke l. c. p. 25. et Hofsbach l. c. T. I. p. 316., referunt, tunc demum, cum praesidio gauderent, singulis diebus Mercurii congregari solebant.

25) Verba uncis inclusa mense demum Nov. 1687. addita esse, ex iis, quae paulo ante posui, elucet.

26) Speneri hic literas intelligendas esse ad Antonium d. 7. Sept. 1686. datas, iam p. 11 sq. ostendere studui. Ipsae literae autographae perierunt.

continuum (quippe quod eum servari pluribus visum fuerit Collegio perpetuo accommodatus). Hinc a Genesi et Matthaeo factum iam est, Q. D. B. V., initium, ac utrobique penes prudentem Lectorem est, quantam capitis portionem absolvi posse definito tempore existimet, sine praecipitatione ulla. Quin gustare recte cibum coelestem eiusque arcanâ virtute innutrirî volumus.

III.

Equidem cuiuslibet interpretis conscientiae, scientiae ac prudentiae relinquimus liberum, qua pro pensi cuiusque tractandi indole naturaque uti velit methodo. Tria autem monemus generatim atque petimus, ut, cum totius libri capitisve generalis oeconomia ostensa est, Collegii verum finem quisque perpetuo respiciens, iuste praemeditatus, e philologiâ ea sola, reiectis alio aliis, breviter proferat simpliciterque et absque phaleris oratoriis, quae ignorata sensus literalis notitiam intercludunt, aut turbant conscientiam. Deinde ut, sensu Scripturae tradito e Scriptura, eoque erutâ prius singulorum versuum connexionem, et paraphrasticè, ubi opus est, repetito, de USIBUS dogmaticis iuxtim ac practiceis bonâ consequentiâ excerptendis, et, si speciales sint, quos forte non praeviderunt singuli, fusius paulo deducendis, domi cogitet: quod fiet quam facillime, si in eosdem scribentis vel loquentis affectus nos induamus. Nisi id speciatim rogandum est, ut, quia docendis aliis volente DEO paramur, in usibus excerptendis eo subinde inflectamus mentem, quid exemplis CHRISTI, Apostolorum Prophetarumve ad *prudentiam* et officium doctoris Ecclesiae verbique orthotomiam maxime pertineat. Tandem ne in allegandis locis parallelis vim probandi habentibus unquam nominandi libri, capitis versiculive Interpres obliviscatur, ut, qui volunt, annotare nonnihil possint, aut, si cui auditori res quaequam videatur dubia, inquirendi is locum feliciorē habeat. Caeterum sunt iam in nostro coetu, qui moderate satis conferunt versionem Graecam LXX interpretum, Syram, Arabicam et alias: quas ad utilitatem Collegii, non ad summam necessitatem vel substantiam quasi pertinere iudicamus.

IV.

Finita lectione, Collegis reliquis, qui debitum hactenus Interpreti praebuere silentium ac id ipsum pensum aequè domi praemeditati sunt, observationes suas vel censuras placidâ libertate strictim, ac adeo *ἀνεν προομιόν*, candideque ac citra omnem luxuriosae, nedum profanae eruditionis ostentationem, *φιλονίκειαν* aut rerum iam ab aliis satis enarratarum repetitionem inutilem, licebit κατ' ἕνα singulis eo superaddere ordine, quo in Collegium recepti sunt: salvâ nihilo secius interpellandi licentiâ, si vel periculum sit in mora, vel id materiae velit cognatio, secundum illud Pauli: οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν, ἐὰν δὲ ἄλλος ἀποκαλυφθῇ καθεμένος, ὁ πρῶτος σιγάτω. Omnem demum consessum Lector precibus textui enarrato statuique Eccle-

siae accommodis claudere tenebitur, ut reddatur Deo orando, quod meditando coelitus acceptum est.

V.

Si cui Collegae in scrutinio dubii cuiusdam vexati peculiaris aut obvenerit sententia, quae non modo non fidei laedat analogiam, sed et solvendo nodo videtur aptior, aut observatio quaedam, aut communis sententiae singulare argumentum, inserantur ista, a reliquis prius excussa, ab ipso Inventore ACTIS nostri Collegii in memoriam. Futurum quoque interdum credimus, ut uno consessu convenire plane vel sensa alterius capi nequeant: tunc quidem iteranda est, vel aliud in tempus differenda ulterior quaestionis iudicatio, donec eniteat veritas, aut probabilior saltem sententia. Exposcit insuper amicae societatis nostrae conditio, ut, si Collega alterius etiam loci intricatioris, qui tum quidem non est prae manibus, solutionem petat, mos eidem ab omnibus atque singulis geratur pro viribus. Lectoris autem est, enarrationem suam scriptam offerre Collegio.

VI.

Tantum vero abest, ut alios, qui Magistri promoti non sunt, aut qui nondum membra audiunt nostri Collegii PHILOBIBLICI, omni ratione ab his acroamaticis lectionibus velimus excludere, ut potius gavisuri semper simus, quotiescunque accedere viderimus HOSPITES, cuiuscunque cultores sint Facultatis, qui seu audiendo, seu humaniter invitati symbolas suas conferendo stimulos nobis addere dignati fuerint. Quem in finem et Lector, finita sua enarratione, futuri pensi initium clara voce designabit, et ruente hora secunda rogabitur, num quis hospitem e studiosorum ordine monere nonnihil habeat. Si et contingat, alios simile auspicari Collegium, nulla ideo noxia aemulatione turbabimus opus Domini, mutua potius cum gaudio praestituri auxilia. Neque etiam nobis, constituto certo commilitonum ordinariorum ordine ac numero, inaequalitatem quandam introducere animus est, sed ut cavendum censemus, ne unus pleraque agat vel omnia, sic providendum pariter, ut ultimus et primus sint in honore pares.

VII.

Cavendae tamen ἀναστασίας ergo Directore²⁷⁾ et in hoc Collegio cum sit opus, per vices eligetur iste e duodecim ordinariis, eo ordine, quo legibus subscripta exstant nomina. Huius erit, per unum anni quadrantem ad singulos conventus Lectorem ex praescripto Legis secundae nominare, lectione finita reliquorum colligere ordine sententias, nisi interpellatio plurium necessaria est, accedentes omnium no-

27) Eiusmodi directorem eo, qui indicatus est, ordine per unum anni quadrantem fuisse constitutum, ipsae singulae rationes docent.

mine insertis gratulationi fraternis admonitionibus recipere, discedentes pio voto dimittere, hospites honoratiores comi oratiuncula excipere, literas responsorias Collegii totius loco exarare, omniaque tandem tueri et observare fideliter, quae in nostri Collegii commodum incrementumque his et sequentibus capitibus consignata sunt; praeterlapso autem anni quadrante, conventum peculiarem²⁸⁾, salvo semper ordinario conventu hermeneytico, indicare, quo (gratiis Deo pro fortunato hactenus suo opere persolutis precibusque pro servanda Spiritus S. gratia effusis) et rationes gesti muneris curatorii reddet Collegis, et, quid in rem sit omnium quidve secus, praelectis denuo legibus, commonefaciet. Idem, si simulates (quod Deus, pacis autor, prohibeat!) inter Collegas quosdam ortas fuisse, sive ipse adverterit sive ex aliis didicerit, suo et reliquorum interventu, ut ad amicitiam quam primum redeant, pro virili efficiet. Speramus tandem in Domino, nunquam futurum, ut ulli ob enorme peccatum Collegio nostro interdicendum sit.

VIII.

In asciscendo novo de plurium voluntate Collega Magistro, cum non doctrinae modo theologiae et philologiae, sed vitae etiam purioris habenda sit ratio: quatuor absentibus differatur electio, qua quisque, quid velit, nemine hospitem audiente, exponat candide. Ante vero, quam Candidatus in conventu ordinario recipiatur, Collegioque pietatem, fidem, diligentiam, studii Biblici promotionem, quocunque locorum feratur, concordiamque sancte polliceatur, tum leges illi ad perfectionem tradendae sunt, quibus subscribendum, ut, quid in posterum s. munus s. onus suum sit futurum, praesciat (unde et consultum foret, ut hospitem prius quisque, quam collaboratorem ageret), tum ipse sit arbiter, Graecorum an Hebraeorum Lectorum classi adscribi sese malit. Nam tametsi forsan ordinarius Lector statim fieri nequeat, attamen non modo praelectione pensi id temporis deducendi accessoria, ἀνευ υπεξαίρεσιως, elapso mense probare licebit sese Collegio, verum etiam, si quis ordinariorum e. g. N. T. Lectorum valedixerit, e supernumerariis ille accessurus est, qui omnium primus classi illi nomen professus fuit. Quodsi vero eveniat, classi v. g. Hebraeae tot sese Collegas non dedisse, quot ad eius ordinis lectiones pertinent, neque sint e Graecis, qui mutare ordinem suum cupiant: tenebuntur pauciores plurium facere Lectorum officia, donec adveniat, qui vacuefactum locum complere possit. Omnium tamen Collegarum libera liberoque modo collecta suffragia de successorum dignitate attendi aequum fuerit, ita tamen, ut, si plures succedere et velint et possint, eius potior habeatur ratio, qui prior receptus est. Quin et itineris morbiye causa absente

28) Tales conventus habitos esse, tum ex indice collegarum antiquissimo tum ex singulis Collegii rationibus apparet.

ordinario interprete, penes supernumerarios est, an ultro vicariam operam praestare velint, ut adeo, quicquid demum discriminis inter ordinarios duodecim Collegas et reliquos gravibus de causis statutum est, aut videtur esse, neminem abstertere debeat, cum omnino iisdem non modo in caeteris gaudeant iuribus, sed et curatorii muneris onere immunes sint. Id praeterea cautum fuit, ut, si contingat divino providente Numine, aliquem Collegarum fixam hic Lipsiae invenire sedem in Cathedra Scholastica aut Ecclesiastica, ne se Collegio prorsus subducat, sed id praesentia adhuc dum, quantum licet, et consiliis titulo membri honorarii provehat.

IX.

Deinde, etsi discendi proficiendique ratio hoc in Collegio habetur maxime, visum tamen fuit, exemplo aliarum huius Academiae Societatum Fiscum qualemcumque partim e collationibus quadrantalibus, partim ex accedentium et discedentium censu, partim ex aequioribus muletis constituere ²⁹⁾: quod ipsum faciet non modo ad accuratorem ordinis observantiam, sed et amicitiae testimonium et firmitatem Collegii. Quippe alios in usus collecta haec a Directore nostro, et in Rationarium cum Lectionum indice relata ³⁰⁾ inque arca fidei primi ordine Collegae tradita asservanda pecuniola non insumetur, nisi in libros necessarios ³¹⁾, aut Collegarum, eorum quoque, qui dimidium saltem annum legibus subiecti affuere, honorem memoriamque, cum his Carmen exhibendum est, s. propempticum, s. gamicum, s. exequiale, s. alterius generis, centum, ut vocant, exemplaribus semper constitutum. Uno tamen plura diversi casus carmina uni offerri, nisi suis ipsius sumptibus, haud poterunt ³²⁾. Illis vero hospitibus et Collegis, qui liberalitate in Collegium ultro usi sunt ³³⁾, vel forsitan et ultro utentur in posterum (nolumus enim ipsi cuiquam ullo modo monitores esse), mnemosynon in ipso nostro Rationario iure merito statuetur.

X.

Singulis itaque anni quadrantibus singuli Collegae, ordinarii et supernumerarii, nemine excepto nulloque admissio unquam debito, grossos 4, et qui ante conventum

29) Haec probantur rationibus.

30) Idem ex rationario patet.

31) Semel tantum talis impensa facta esse videtur; in rationibus enim ultimi quadrantis anni 1687. sermo est de *Gesnero in Genesin* (*Salom. Gesneri disputationes XXXVIII in Genesin*. Vitembergae 1604. 1613. 1629. 4.) emto et de *ligatura Gerhardi in Genesin* (*Io. Gerhardi commentarius super Genesin etc.* lenae 1637. 1654. 4.)

32) Praeter carmen aut huius loco etiam gamelion s. donum nuptiale iis, qui sodales quondam fuerant, dare, Collegii consuetudo ferebat, id quod et index collegarum et rationes testantur.

33) Talis liberalitatis non collegarum quidem, sed hospitum tamen nonnullorum in antiquissimis iam Collegii rationibus mentio iniicitur.

hunc fiscalem alio die indicendum novi accesserint, praeter ordinariam 4 grossorum collationem, 16 afferent, a valedicturis vero 8 solum exigere placuit. Sed qui semel Collegio renunciarit et post aliquod temporis spatium recipi de novo voluerit, pro accessu suo reiterato³⁴⁾ solvet 8 grossos, eius sc. summae dimidium, quae primâ vice accedentibus est numeranda, insuperque ob antehac satis Collegio declaratam pietatem et industriam in pristinum, quem vacuefecerat, restituetur locum, servato nihilo minus successorii eius ordine.

XI.

Si quis Lipsiâ discesserit, redeundi animo, et ex PACTO³⁵⁾, ut vocant, absens etiam (nemini enim praesentium id concedetur) Collega haberi cupiat, Collegii consensum non coram, sed amico internuncio impetrabit. Lege autem PACTI ante conventum solvat 6 grossos, qui nisi semper praenumerati fuerint, pactum eo ipso dissolvitur. Ea itaque ratione, si ille ordinarius hactenus Lector fuerit, subsequens e supernumerariis, secundum inscriptionis et classis suae seriem, lacunam explebit, ita tamen, ut, si reverti contingat illum, cui successit, nec hic quaesitum semel amittat ius, nec ille alium, quam priorem, obtineat locum. Ut vero ad duodenarium, quem hoc modo egredietur, redeat cum tempore ordinariorum numerus, discedente prorsus iterum alio, succedet nullus ad ordinarium legendi officium. Qua etiam de causa tribus tantum ordinariis, non pluribus simul PACTUM eiusmodi concedi aequum est; quod enim id in pluribus supernumerariis admittere licet pro arbitrio, nullâ fiet facile convulsione Collegii, nullâ confusionis formidine. Pacti computandi fiet initium a tempore unius Fiscalis ad electionem usque novi, quo solo etiam Pacta sollicitari, nisi aliud summa exigit necessitas, debent.

XII.

Qui, cum die Mercurii Sacer Codex tractandus sit, Acroaterii nostri limen ultimo horologii sonitu stato tempore non subierit, s. ordinarius s. supernumerarius Magister, uno grossi muletabitur quadrante, poenâ postea cum tempore secundum hanc proportionem accrescente. Idem plane de iis, qui praemature discesserint, statuitur.

XIII.

Emansionis nulla sit, nisi ab itinere necessario et morbo non ficto et causâ mere piâ excusatio, modo, qui his de causis abesse cogitur, rem sincere indicaverit. Si ipse Collegii Curator, qui simul Fisci Advocatus est, definito tempore non statim

34) In rationibus d. I. Maii 1689. exhibitis iteratus accessus Franckii memoratur.

35) Talis pacti iam in secundi a condito Collegio quadrantis rationibus (d. 23. Ian. 1687. redditus) mentio inferitur.

praesens vel prorsus absens fuerit, duplo luet. Similiter Lector uno grosso unum horae quadrantem, sin adeo plane emanserit, octo grossis aliorum omnium expectationem frustraneam et cum tanto intervallo coniunctam redimet. Quin et Lector, si primae horae designatum sibi spatium excesserit, grosso uno, horae ultimae quovis ineunte quadrante, mulctabitur.

XIV.

Quicumque, ordinario lectionis munere ad se devoluto legitime, alium eumque proxime in classe sua sequentem, extra morbi, causae mere piae vel itineris casum, volet substitui, duobus grossis augebit Fiscum; neque tamen ideo plane solutus ab hoc labore censendus, sed alio nihilo secius tempore alterius loco Interpreter, compensationis lege, futurus est. Idem rursus observabitur, si quis, conductâ die serieve designatâ, alterius subire vicem noluerit. Subsequens quoque, ni eandem incurrere velit mulctam, vicariam praestare operam tenebitur.

XV.

Onus Curatoris vel Fiscalis ad se ordine legitimo delatum qui detrectaverit, duodecim pendat grossos, 12 ℔ vero, quicumque citra veniam a Conventu die, qui omnibus, si fieri possibile, placuerit, unanimi consensu definito abfuerit, quo rationes Lectionum et Fiscii Collegio reddendae, aut extra ordinem deliberatio necessaria instituenda est. Hos enim Conventus, cum ad servandum Collegii vigorem mirum quantum conferant, a quoquam absque ratione sufficientissima negligi non decet. Quapropter etiam ad declinandum omnis absentiae praetextum, quis dies Conventui destinandus, Fiscalis voluntatem omnium mature satis explorabit.

XVI.

Supernumerarii aequae ac Ordinarii, qui sunt, omnes adstringuntur ordine ad elaborandum Carmen, non quo Dii loquuntur Deaeve, aut Priapi, aut hyperbolicae miscentur Commilitonis laudes, sed quod pium, Christianum et Collegio PHILOBIBLICO dignum est, cum iubet istud Collegae cuiusdam Honor aut pie in CHRISTO defuncti Memoria: nisi quis octo solutis grossis ad sequentem proxime Collegam onus istud transferre maluerit. Carmen cum elaboratum est, cuiuscunque generis, prius non imprimatur aut censori offeratur publico, quam absente Poëta audita sint de eo reliquorum Collegarum libera iudicia, quibus ille a Directore nostro ἀνοήτως acceptis lubens sese attemperet.

XVII.

Defuncti autem Bibliophili exequias omnes ac singuli honeste comitabuntur, constantique ad finem usque extremum praesentiâ ornabunt, statutâ in eum, qui secus fecerit, octo grossorum poenâ.

Doce nos, DOMINE, recte numerare dies nostros, et adducemus cor ad sapientiam; opus manuum nostrarum fac stabile super nos, et opus manuum nostrarum confirma per Filium in Sancto tuo Spiritu. AMEN!

His igitur legibus quum societas illa ordinata et nomine Collegii Philobiblici insignita esset, maiori gaudebat auctoritate, ita ut iam ante mensem Februarium anni 1687. numerum suum duodenarium haberet et plures quam antea hospites adlectaret³⁶⁾. Quo factum est, ut non solum publicam quandam speciem indueret, sed parvum etiam Antonii museum, quo adhuc conveniebatur, tam auctum sociorum hospitumque numerum non amplius capere posset³⁷⁾. Quapropter sodales ex ordine theologorum praesidem eligendi ceperunt consilium, qui et curam Collegii tutelamque gereret et ampliorem conveniendi concederet locum. Quod praesidium quum Valentinus Alberti, Theol. D. et Prof. extraordinarius simulque Logices ac Metaphysices Prof. Ord. et Consistorii Electoralis atque Ducalis Saxonici Assessor, qui tum Academiae fascies tenebat, legibus ab ipso probatis³⁸⁾, in se suscepisset, a die 16. mensis Februarii an. 1687. singulis diebus Mercurii, qui Lege prima iam constituti erant³⁹⁾, in aedibus Principum (*Fürstenhaus*)⁴⁰⁾, in quibus ille habitabat, collegae congregabantur, eorumque lectionibus Biblicis ipse saepenumero intererat, suas observationes et theoreticas et practicas adlicere solitus⁴¹⁾. Ab hoc inde tempore Collegium ita inclaruit, ut non tantum iam mense Martio exeunte adscripti ei essent praeter duodecim lectores ordinarios septem supernumerarii⁴²⁾, verum ex studiosis etiam haud pauci ad scholas istas Biblicas accederent, quid? quod ex ipsis Professoribus urbisque concionatoribus atque ex viris literatis Lipsiae peregrinantibus nonnulli eas nonnunquam praesentia sua ornarent⁴³⁾.

Quantumvis autem hac ratione theologiae studiosi aliqui amore studii Biblici incenderentur, plerique tamen negligere illud pergebant, sacrarum linguarum cognitione vix leviter tincti. Quocirca Spenerus d. 25. Febr. a. 1687. ad Lic. Adamum Rechenbergium, Hist. et Utriusque Linguae tunc Prof. Ord.: *Studium Scripturae magis magisque inter studiosos fervere,*

36) Utrumque ex rationibus Collegii cognoscere licet.

37) Cf. Spenerus, *Wahrhaftige Erzählung*, p. 36. Antonius l. c. p. 28.

38) Antonius l. c.

39) Vide, quae p. 13. Not. 24. de hac lege iam attuli.

40) Antonius l. c. p. 27.

41) Spenerus l. c. p. 37. Antonius p. 28.

42) Id rationes probant primi quadrantis an. 1687.

43) Spenerus p. 37. Antonius p. 28.

ex praecipuis votis est, speroque, Tua etiam opera illud plurimum iuvare posse. Cum dolore hactenus expertus sum, ex iis, qui examinantur, paucos esse, qui vel mediocrem cognitionem N. T. (ut de universis Bibliis nihil dicam) habeant, imo plerique Graeca non intelligunt, cuius tamen linguae in scholis et gymnasiis cognitionem iam comparasse debebant⁴⁴). Paucis diebus post (d. 14. Mart.) ad eundem indignabundus, quod ordo theologorum ei permittere nollet, ut huic malo aliquantum succurreret: Quod Tibi, inquit, praeter phrasin explicationem N. T. non permissam scribis, plane miratus sum, cum legerem. Numquid ergo Licentiatum gradui licentia Theologiae docendae non adhaeret? Sed de his alias. Omni enim consilio in id enitendum, ut suo bono iuventuti persuadeatur necessitas Graecae linguae et universim studii exegetici.

Prosper Collegii Philobiblici successus viro illi pietatis studiosissimo curae cordique erat, cum speraret, fore ut magna inde in ecclesiam Evangelicam redundarent commoda. Die enim 13. Iul. a. 1687. ad amicum Francofurtensem: *Inter mea vota ex primis illud est, ut theologiam docentibus discentibusque plane hoc persuaderi possit, exegeseos sacrae Scripturae studium, licet reliqua non tollat, cunctis tamen iure palmam praeripere, adeoque temporis et industriae, quae litteris impenditur, maximam sibi vindicare partem, nulla ratione ista praerogativa sua fraudandum. Lipsiae superiori anno utilissimo utique consilio certus Magistrorum Doctorum piorumve numerus hac ex causa coit, Collegiumque, quod Philobiblicum vocant, inter se instituit, quod multo fervore nec sine singulari divina benedictione hactenus continuatum est, crescente non numero solum, verum etiam in sacras paginas earumque piam scrutationem omnium amore. Unde sementem hanc esse spero, quae in maturam aliquando excrescat messem, et exemplum, quo incitantur ad hoc unicum necessarium etiam, qui alibi sacra tractant⁴⁵). Eiusdem autem anni 1687. mense Aprili quum Lipsiae exercitio Bibliophilorum magna cum voluptate adsedisset, pr. Kal. Quintil. longas ad membra Collegii literas dedit⁴⁶), quibus aequè admonet, ut strenue pergant in coepto tramite, quam significat, quomodo maiori forsitan utilitate illud possit institui. Quae consilia non eo tantum tendunt, ut exercitio Biblico ad instituti finem relato, ea vix delibentur, quae fructus singuli non sint, aut omnino omittantur, omni diligentia impensa evolutioni sensus ipsius et deductioni porismatum variorum, quae vel fidem confirment vel eius promoveant fertilitatem, verum etiam, ut non ex charta praelegantur, quae quisque domi praemeditatus sit, sed ex vivo affectu fluant, aperta fronte, nec*

44) Cf. etiam Speneri *Gründliche Beantwortung*, p. 62.

45) Vid. Speneri *Consilia et iudicia theol. Lat.* p. 611.

46) Vid. *Append. I. B.*

non vernaculo sive Germanico sermone piae meditationes enarrentur, saltem illius et Latini sermonis promiscuus usus admittatur. Quibus quidem literis non effectum est, ut Bibliophili a more consueto aberrarent: at vehementer tamen exhilarati maiori nunc fervore studia sacra continuarunt, atque adeo unus alterve eorum ex divino fonte pietatis suae incrementa cupidius hausit⁴⁷⁾.

Hac igitur ratione pium sacrarum literarum studium inter Bibliophilos magis magisque in dies fervebat. Primi quidem Collegii auctores, Antonius et Franckius, iam anno 1687. ex eo discesserant, ille die 26. Aprilis Serenissimo Principi, Friderico Augusto, Duci Saxoniae, a sacris in itinere esse iussus, hic d. 19. Octob.⁴⁸⁾, ut morem gereret avunculo suo, D. Antonio Henrico Gloxino, iureconsulto Lubecensi, qui perfectius eum a Casp. Herm. Sandhagenio, dioeceseos Luneburgensis Ephoro doctissimo, librorum sacrarum interpretatione instrui vellet: at vero Spenerus haudquam desistebat ipsi Collegio admodum favere sociorumque animos ad coeptum opus salutare strenue persequendum stimulare. Itaque quum comperisset, institutum Collegium anno 1688. decrementsa gravia passum⁴⁹⁾ esse, nec eadem facie, quam initio induerat, superare (perpauci enim, qui ex colloquiis sodalium proficere studebant, auditores confluebant, quin a medio fere anno numerus sociorum sensim ita decreverat, ut tandem vix duodenarius esset, supernumeraria autem membra prorsus deficerent⁵⁰⁾): die 4. Ian. 1689. ad Bibliophilos animo satis concitato scripsit⁵¹⁾, laudans eorum industriam et constantiam, consolans animos propter minus felicem successum, praedicans solidam cognitionem scripturae coelestis, tanquam caput theologicis studiis, simulque ex verbi divini genuino intellectu varietates dogmaticas et practicas eliciendi prudentiam, atque sancte affirmans, se non destitutum institutum hoc salutare veluti sementem uberius adhuc longe messis Deo pie commendare.

Laetiolem profecto faciem hoc sodalium induit, ex quo Franckius, sub finem mensis Februarii an. 1689. Lipsiam reversus, ad illud rursus accesserat. Hic enim vir, qui Luneburgi, ut ipse in vita sua profitetur⁵²⁾, veram plenamque animi sui vitaeque conversionem per gratiam Dei factam esse

47) Spenerus, *Wahrhaftige Erzählung*, p. 38.

48) Hic dies in collegiarum indice diserte notatus est. Errat igitur Guericke, lib. cit. p. 34. narrans, iam inde a festo Michaelis Franckium Luneburgi fuisse.

49) Id ex rationibus anno 1688. exhibitis patet.

50) Has literas, in Appendice I. C. afferendas, non ad studiosos theologiae in universum, ut inscriptio in *Consiliis theol. Lat.* p. 669. indicare videtur, sed ad ipsos Bibliophilos datas esse, et argumentum et schedula iam commemorata satis superque docent.

51) Cf. *Franckens Stiftungen*, T. II. p. 419 sqq. Guericke, l. c. p. 30 sqq.

senserat ibique exercitationes exegetico-practicas instituerat, Hamburgi deinde pios cum amicis similiter animo affectis conventus habuerat, Dresdae denique inde ab ineunte anno 1689. usque ad finem fere Februarii hospitio Speneri et familiaritate erat gavisus ⁵²⁾, et auctoritate et pietate sua effecisse videtur, ut institutum Philobiblicum brevi denuo effloresceret, cum iam ante mensem Maium octodecim essent collegae ⁵³⁾, auditores vero confluisse, inde colligere licet, quod Franckium constat scholis suis Biblicis, quas paulo post adventum suum iterum aperuerat, iuvenes magno literarum sacrarum inflammasse amore, ita ut vix dubitari queat, quin data per exercitium Philobiblicum in illis proficiendi opportunitate lubentes usi fuerint. Etenim institutio huius doctoris ita comparata erat, ut iuvenum animos quam maxime alliceret atque commoveret, quippe quae non scholae, sed vitae, non soli rerum cognitioni, sed verae pietati inserviret. Finita igitur interpretatione epistolae Pauli ad Philippenses, cum ante festum Pentecostes epistolam ad Ephesios et posteriorem ad Corinthios deinceps interpretaretur, praemissis lectionibus de impedimentis studii theologici huiusque praesidiis, numerus auditorum ita crescebat, ut centenarium mox excederet atque maius auditorium requireretur. Sed quamvis petenti collegium alumnorum Electoralium, lampas (*die Lampe*) vocatum, ab huius Praeposito, Valentino Alberti, consentiente Oleario, Rectore tunc Academiae Magnifico, concessum esset, tamen nec hoc omnes audire cupientes capi poterant. Tanti autem ordo theologorum faciebat Franckii doctrinam docendique solertiam, ut Georgius Moebius, illo tempore Decanus, Cereales ei, quae dicebantur, demandare lectiones theologicas minime dubitaret (erat enim tunc temporis Lipsiae in more positum, ut feriis aestivis Professorum loco Magistri nonnulli iuberentur lectiones publicas habere): quas cum nomine et auctoritate Facultatis theologicae in auditorio theologico Paulino institueret, posteriorem epistolam ad Timotheum, praesentibus trecentis pene iuvenibus, non tam philologice quam theologice, qua thesin et antithesin, ut Spenerus refert, explicabat, ita tamen, ut accommodare eam ad pios in auditoribus sensus excitandos alendosque haud negligeret ⁵⁴⁾.

Talem sane studii Biblici moderatorem, qualem Franckius sese praebebat, qui ipse coelestis veritatis luce collustratus verbique divini mira vi im-

52) Spenerus ad Rechenbergium pr. Kl. Ian. 1689.: *Scias ergo, M. Franckium ista vespera urbem hanc ingressum, cras vero hospitium apud nos ingressurum, et d. 21. Febr.: Porro redit iam ad Vos M. Franckius vester, pietate totus ardens. Deus cum in veritatis via ducat et servet!*

53) Id videre licet ex rationibus Collegii d. 1. Maii 1689. redditus.

54) In hac tota narratione Spenerum, *Wirkhafte Erzählung*, p. 39 sq., secutus sum.

pletus iuvenibus ostenderet, quanti verae sapientiae thesauri, quanta probitatis et virtutis incitamenta et subsidia quantaque Evangelici solatii atque aeternae salutis divitiae divini codicis libris inessent, in Academia Lipsiensi tunc existere quam maxime opus erat, ut tandiu in ea sopita Scripturae exercitia efficacissime resuscitarentur. Talem ducem non studiosi solum quam plurimi sequebantur prompti, verum nonnulli etiam sodales Collegii Philobiblici, in quo maior in dies pietatis cum studio Biblico sociandae exarserat cupiditas, sequi volebant, ideoque cum in ipso coetu non ita, ut desiderabant, fieri id posse cognovissent, in museo Franckii eo consilio convenire solebant, ut ipso duce libros sacros, epistola ad Titum adhibita, pie tractare discerent. Quod cum studiosi comperissent, ut ad cetera Franckii collegia, sic ad hoc quoque magno numero confluebant⁵⁵⁾. Franckii exemplo admonitus, Ioannes Casparus Schadius, qui, Vitebergae Magisterii honoribus impetratis, in societatem Philobiblicam anno 1687. vergente receptus erat⁵⁶⁾, collegium, quod super priori Petri epistola⁵⁷⁾ anno 1688. singulis diebus solis cum studiosis aliquot instituerat, continuare coepit, idque tanto plausu, ut museum eius auditorum multitudini haudquaquam sufficeret⁵⁸⁾. Accessit denique Antonius, qui, ex itinere d. 12. Iunii a. 1689. Lipsiam redux⁵⁹⁾, non solum lectionibus Philobiblicis intererat⁶⁰⁾, verum etiam scholas habebat assidua auditorum frequentia valde celebratas, et quidem in Collegii maioris Principum, cuius Collegiatus erat, conclavi quatuor Nationum, quibus a d. 17,

55) Spenerus l. c. p. 40., et ad Rechenbergium d. 19. Iul. 1689: *Benedictioni, quam Franci nostri informationi largitur coelestis Pater, ex animo gratulor, et ut verum fatear, tam uberem nondum expectassem: sed celebremus DOMINUM, qui vel ultra spem gratiam suam auget. Ego nemini invidere, si DEUS eos, in quibus convertendis cuneos frustra exegissem, alterius opera intra paucas horas alios faceret. Certe nos non DEUM amamus, si non aequae grata sunt, quae per alios quam nos efficere ille maluit. Et d. 23. Iul. 1689.: M. Franci successus in parte felicitatis, qui ipsum vel potius in causam DEI intentum animum toto pectore diligo. Qui vero DEUM amant, non possunt invidere, si aliis ille ministris utatur, efficiendis iis, ad quae nos non suffecimus; qui vero invident, DEUM non amare, sed se ipsos, satis ostendunt.*

56) Erravit igitur Hofsbach, l. c. p. 315. Schadium primis Collegii conditoribus adnumerans.

57) Spenerus, *Warhaffte Erzählung*, p. 38. narrat, prius ab eo primam epistolam Ioannis explicatam fuisse. Sed ipse Schadius in vita sua, apud Godofr. Arnoldum (*Das Leben der Gläubigen*) p. 133. priorem tantum Petri epistolam commemorat.

58) Spenerus, l. c. p. 40 sq.

59) Antonius l. c. p. 5. 25. 31. 32.

60) Id ipse l. c. p. 5. 27. 29. 32. narrat. Nomen quidem eius in rationibus hoc anno relatis non legitur: sed vi Legis VIII. membrum honorarium tunc fuisse videtur.

Iun. ad d. 4. Aug. *historiam praeiudiciorum Pharisaicorum contra Christum ex Evangelio Ioannis* exponebat, et a d. 26. Aug. ad d. 5. Oct. priorem Pauli epistolam ad Timotheum explicabat ⁶¹).

Tanto igitur librorum sacrorum pie tractandorum ardore cum permulti studiosi essent incensi, fieri non poterat, quin collegia exegetica omnibus aliis multum anteferrent, inprimis, quae antea adamaverant, philosophicis et homileticis, vitamque suam atque feros mores ita emendarent, ut compositi ac quieti dignos se reddere studerent, qui gregem Christi olim pascere, quantumvis in vitae pietatisque cultu limites nonnunquam migrarent ⁶²). Alii contra pravis cupiditatibus et petulantiae indulgentes collegia illa aucupabantur, ut acciperent, quod referrent, idque rapiebant in alium sensum, quin risu omnes excipiebant et irridebant, quicumque ad pietatem sese applicarent, eosque contumeliae causa *Pietistas* vocabant. Quo quidem nomine, quod aliis iam locis ante aliquot annos ab irrisu de iis Christianis usurpatum fuerat, qui pietati eiusque incrementis provehendis maiori quam alii cura studere videbantur ⁶³), nunc primum Collegii Philobiblici sodales, deinde Franckii auditores, denique omnes, qui ad haec pietatis collegia accedebant meliorisque vitae prae se ferebant speciem, quasi pietatem simularent, appellati sunt ⁶⁴).

Magnae nunc ortae sunt turbae et lites, quae dicuntur *Pietisticae*, totam ecclesiam Evangelicam misere concutientes, quas tamen eatenus tantum enarrare in animo mihi est, quatenus historiam Collegii Philobiblici attingunt atque illustrant. Inventa Pietistarum appellatione, non deerant, qui magnos doctrinae variosque errores in Biblicis collegiis doceri criminarentur eiusque rei rumores consulto spargerent, praesertim cum studiosos nonnullos alia collegia,

61) Antonius l. c. p. 6. 7. 9. 12. 33—35.

62) Spenerus d. 15. Iul. 1689. ad Rechenbergium: *Esto, pietatis amore et sensu quidam aliquibus rebus abstineant, quae mediae sunt: annon hi etiam omni mansuetudine et dilectione supportandi erant ab iis, qui omni vanitati publicae litantes ferre solent? Non excuso, si qui in cultu pietatis prudentiam non servant, doleo vero vicem seculi, in quo pleraque minus periculi habere videntur, quam pietas, adeo ut haec in crimine ponatur, si vel in minimo non omnis cautela adhibita fuerit. Simul tamen veneror divinum consilium patientiae nostrae et constantiae exercendae. Metaphysica scripta quosdam combussisse, non probo, sed multo minus illos, qui, nisi Metaphysicus sit, Theologum esse non posse, sibi imaginantur etc.*

63) Spenerus ad generum suum d. 29. Iul. 1689.: *Pietistarum vetus nomen est, et ante hos quindecim, aut quod excurrit annosius datum, qui Francofurti pietati maiori quam alii solitudine litare videbantur: habeo in manibus amici cuiusdam commentationem de eo negotio tunc scriptam, quam tamen illo tempore premere quam luci exponere publicae ac ita crabrones irritare malui. Cf. eiusdem Theol. Bedenken, T. III. p. 383. 434. 782.*

64) Spenerus, *Wahrhaftige Erzählung*, p. 42.

praecipue philosophica, tanquam inutilia et futilia aspernari audissent. Frustra Franckius innocentiam suam coram ordinis theologorum Decano testatus est. Res in concionibus iam sacris memorari coepta erat, cum Carpzovius, theologus quidem satis doctus atque solers, at Spenero eiusque amicis admodum malevolus, in funere Martini Dornii, unius ex Franckii auditoribus, verba faciens, collegia pietatis acerbissime perstringeret, ex quibus adeo prodituri essent studiosi quidem satis pii, sed satis indocti, quamvis Ioachim Fellerus, Professor Poeseos, in carmine in eiusdem defuncti iuvenis memoriam condito Pietistae nomen bono sensu adhibuisset, quo verbi divini sanctaeque ad huius normam accommodatae vitae amantem significabat. Per hoc autem carmen, quo Pietistarum vocabulum maxime increbruit, non minus quam per innumeras epistolas, quae multa ex oratione illa funebri nuntiosque de Pietistis satis ridiculos continebant, turbae Lipsienses Dresdae magis innotuerunt. Res tandem eo devenit, ut Facultas theologica non tantum collegiorum Biblicorum continuationem Franckio, cum ex itinere Dresdam facto rediisset⁶⁵⁾, mense Augusto interdiceret⁶⁶⁾, quod eum movit, ut collegium nunc philosophicum super Christiani Thomasi *tabulis de affectibus* institueret, verum etiam die 12. eiusdem mensis ad Senatum Ecclesiasticum Dresdensem de collegiis Biblicis a Franckio aliisque studiosis theologiae inique habitis referret. Ad quas literas ipse ille Senatus, qui eodem iam die Universitatem iusserat de Pietistis eorumque doctrina et moribus certi aliquid nuntiare, d. 23. Aug. rescripsit Universitati, Franckium de re a theologis relata audiendum illiusque defensionem una cum horum responso exhibendam esse, quod decretum d. 16. Sept. est repetitum. At enim vero tantum abfuit, ut Universitas Senatui Ecclesiastico sic, ut iussum erat, satisfaceret, ut Concilium Academiae Perpetuum a die 2. ad 10. Oct. ex Articulis ab ordine theologorum formatis in septem ab hoc designatos Magistros inquireret, testibus iam mense Septembri exeunte interrogatis.

Qua in re quam graviter peccatum fuerit, non huius est loci exponere, neque opus est ea repetere, quae Thomasius responso iam iuris in causa Franckiana dato iam satis superque demonstravit⁶⁷⁾. Ex Actis autem, quae an. 1692. Francofurti ad Moenum forma quaternaria sine editoris nomine prodire

65) Spenerus d. 16. Aug. 1689. genero suo nuntiat: *heri ille (Franckius) discessit.*

66) Spenerus, *Warhaffte Erzählung*, p. 51. Guericke l. c. p. 53. hoc interdictum falso ad a. 1690. refert.

67) Cf. Spenerus: *Auf gnädigsten Churfürstl. befehl aus den Acten abgefassetes bedencken, worinnen der sogenannte Pietismus bestehen solle etc.*, in eius *Theolog. Bedencken*, T. III. p. 777—811.

sub titulo: *Gerichtliches Leipziger Protocoll in Sachen die so genannte Pietisten betreffend, sammt Herrn Christian Thomasii rechtlichen Bedencken darüber und zu Ende beygefügtter Apologia, oder Defensions-Schrift Herrn M. Augusti Hermanns Franckens an ihro Churfürstliche Durchl. zu Sachsen*⁶⁸⁾, ea commemorasse sufficiat, quae a vero minime aliena huc pertinere mihi visa sunt. Primum enim ex illis apparet, ex Bibliophilis Edelmannum tanquam testem, Schadium vero, Thimium, Müllerum, Friedelium et Franckium tanquam reos in ius tunc vocatos fuisse, deinde, praeter Schadium, Franckium et Antonium, Müllerum collegium Biblicum, quo Psalmorum sensum grammaticum et practicum explanaret, instituisse, sed verba tantum illustrandi causa nonnunquam porisma practicum ex textu notasse, illos vero, sensu literalis nexuque ostenso, textum in pios usus convertisse atque Latino pariter ac vernaculo sermone promiscue usos esse⁶⁹⁾, denique Franckii scholas super epistola ad Titum die Iovis, Schadii vero lectiones super priori Petri epistola die solis, praesentibus studiosis, habitas his usibus inservisse, ut ipsi collegae textum interpretando et porismata inde deducta dogmatica, practica et elenchctica ad pietatem applicando, die solis insuper de concionibus auditis amice colloquendo ad sacra olim rite curanda sese praepararent, hisque piis exercitiis ex Bibliophilorum numero praeter Franckium et Schadium etiam Westphalum, Ringmacherum, Thimium, Hattenbachium, Friedelium et Huffelandtium, interdum et cives quosdam interfuisse. Quemadmodum autem Magistri illi in iudicium vocati nec falsae doctrinae nec pravorum morum convinci potuerant, sic ne Franckium quidem ius quodquam Facultatis theologiae in adornandis collegiis Biblicis sibi vindicasse, eadem acta satis luculenter docent. Namque cum in Academia Lipsiensi philosophiae Magistris iam dudum concessum esset collegia ex philologia sacra instituere, Franckius, hoc ius suum cum collegis obtinens, nihil peccaverat, quid? quod ipse, ut prius iam Decano significaverat, sic coram iudicibus erat professus, se collegia Biblica, exceptis, quae auctoritate theologorum habuisset, canicularibus, non tam theologice quam philologice tractasse, sectionem ergo dogmaticam et controversias ad cathedras theologorum remisisse, ad praxin tamen pietatis consulto respexisse, quoniam censuisset, facere id quemcunque doctorem Christianum occasione data oportere, item in col-

68) Acta illa cum aliis scriptis ea illustrantibus Thomasius suo responso iuris inseruit in: *Thomasische Gedancken und Errinnerungen über allerhand gemischte Philosophische und Juristische Händel*, T. II. p. 352 sqq.

69) Cf. Antonius l. c. p. 10 sq.

legio philosophico, quod haberet de affectibus, exempla eligere solere ex scriptoribus aequae profanis ac sacris, quod vix esset vituperandum. Antonius vero, examine theologico pro baccalaureatu et licentia (d. 22. et 29. Aug.)⁷⁰⁾ feliciter iam superato et iuramento religionis praestito, solemniter d. 1. Oct. Concilio Perpetuo intercesserat, quoad inquisitio illa ipsius personam, collegium et doctrinam iam attigisset vel adhuc attingeret⁷¹⁾.

Sed licet et Universitas in relatione sua, quam cum Actis ad Consistorium supremum Dresdam miserat, et Facultas theologica in suis literis diserte testatae essent, nihil neque in doctrina neque in moribus reorum Magistrorum puniendum esse: tamen theologi Franckio collegia Biblica inhibenda esse perseverabant, quid? quod collegium eius de affectibus prohibere studebant⁷²⁾, cum innocentem eum agnoscere nollent, praesertim ex quo iste, Actis inspectis, apologiam suam cum Thomasia responso iuris, die 23. Oct. dato, Senatui Ecclesiastico Dresdensi d. 7. Nov. exhibuerat⁷³⁾. Quare nec suam apologiam illi oppositam cum Franckio communicandam curarunt; neque unquam, ut iste librorum sacrorum aliquem iterum interpretaretur, passi sunt, quantumvis licet Schadium haud impedirent, quo minus lectiones Biblicas suas haberet⁷⁴⁾.

70) Antonius l. c. p. 8.

71) Ibidem p. 11. 33. 36.

72) Quare Spenerus ad Rechenbergium, Academiae tunc Rectorem Magnificum, d. 26. Nov. 1689.: *Absolutus licet sit Franckius noster a criminibus intentatis, in proximo tamen est, ut collegium de affectibus omittere iubeatur. Apologia, quod praevide, causam eius evertit potius quam iuvit. In ea auctoritate esse et haberi videntur Theologi, ut solis credatur, et soli arbitrium rerum sacrarum, tanquam quarum cognitio ad ipsos unice spectet, sibi vindicare permittantur. Idem d. 7. Dec.: Quod nunc a Vobis poscitur, illud est, ut collegii Franckiani de affectibus rationes et methodum exponatis, utrum videlicet mutato tantum nomine pristinum institutum prosequatur et Theologorum partes involet, an intra Cancelli Philosophiae se contineat. Denique d. 10. Dec.: Pro Optimi Nostri M. Franci causa non aliud magis faciet, quam si Academia respondeat, Philosophi Christiani limites eum in Ethica schola sua non transilire. Quam odi ego Theologorum monopolium, qui ipse Theologus sum, sed illi ut frenum iniciam, viribus non polleo.*

73) Hanc rem omnes, quos consului, scriptores falso exposuerunt, narrantes, Thomasia responsum non una cum Franckii apologia, sed serius, postquam theologi Lips. suam apologiam scripsissent, Dresdam missum esse. In hoc errore v. c. versati sunt Walch, *Religionsstreitigkeiten*, T. I. p. 578., Hofsbach l. c. T. I. p. 324., Planck, *Geschichte der protestantischen Theologie* (Göttingen 1831), p. 199., alijque. Rem sic se habuisse, ut ipse retuli, iam ex epistola Speneri ad Rechenbergium d. 12. Nov. 1689. data elucet, in qua haec leguntur verba: *Usus est (Franckius) advocato et consiliario D. Thomasio, cuius additum consilium ipsa apologia est acrius et mordacius.*

74) Spenerus, *Wahrhaftige Erzählung*, p. 51 sqq. *Theol. Bedencken*, T. III. p. 786. 937. *Letzte theol. Bedencken*, T. III. p. 484.

At vero huius viri collegia cum ita comparata essent, ut duce verbo divino ad fidem, caritatem spemque Christianam animum et commoverent et formarent, idque eo magis, quo frequentior in illis erat usus linguae vernaculae: non studiosi solum quam plurimi, sed cives etiam haud pauci in ea venerunt. Quod cum Schadius aegre ferret, metuens, ne calumniae inde nascerentur atque turbae, neque hortando et admonendo hos auditores arcere amplius valeret, necessitatem sibi impositam esse intellexit collegia sua finiendi. Quo facto cives aliquot singulis diebus solis conventicula instruere coeperunt ad excitanda inter ipsos et fovenda rerum divinarum ac pietatis studia. Quae res magnos concitavit motus, cum non tantum in cathedris sacris perstringeretur, verum per multas etiam epistolas privatas tam varii atque iniqui Dresdam perferrentur nuntii, ut Senatus Ecclesiasticus, priusquam ad ipsum theologorum, praecipue sacri Ministerii denuntiationes pervenissent, decreto ad Universitatem, Praefecturam et magistratum Lipsiensem d. 10. Mart. 1690. dato, omnis generis pia conventicula, sive a studiosis sive a civibus essent adornata, poena proposita interdiceret.

Novi illi Pietistici motus, quorum accuratior expositio non in hunc locum quadrat, ad ipsam societatem Philobiblicam hanc habuere vim, ut ea inhiberetur tandemque dissolveretur, postquam lectiones perductae erant ad Gen. Cap. XVII. Vers. 1. et Matth. Cap. XIX. Namque Valentinus Alberti, quantumvis hactenus hoc Collegium nunquam non laudasset sociosque industria excellentes quam maxime commendasset, ineunte tamen mense Aprili 1690. negavit ei hospitium et praesidium, permotus potissimum persuasione nonnullorum Magistrorum, ne ipse in Pietismi incurreret suspicionem⁷⁵⁾. Cuius viri consilium mirum tibi non videbitur, si consideraveris, eum per aliquod iam temporis spatium a Spenero pietatisque studiis ab hoc commendatis fuisse alieniorem⁷⁶⁾ ideoque eo gravius ista re commoveri potuisse, quo magis apud Bibliophilos nonnullos haec studia tandem ita praevalere vidisset, ut ipse Collegii finis periclitaretur, praesertim cum in eo iam turbas illi concitassent ac novorum Pietisticorum motuum haberentur auctores. Hanc fuisse rei rationem, iam ex iis colligere licet, quae M. Friedelius rationibus sex mensium, Nov. Dec. a. 1689. et Ian. a. 1690., item Febr., Mart. et April. eiusdem anni, ab ipso exhibitis

75) Spenerus, *Wahrhaftige Erzählung*, p. 54. *Gründliche Beantwortung*, p. 76. *Theol. Bedencken*, T. IV. p. 680. Antonius l. c. p. 31.

76) Id permultae testantur Speneri epistolae ad Rechenbergium et huius ad illum datae.

appendicis loco adiecerat. Plagulae quidem septem, quibus rationes una cum appendice inscriptae fuerant, communi suffragio sodalium ex rationario avulsae sunt et melius comparatae rationes mensium Nov. et Dec. a. 1689. et Ian. 1690. a Friedelio relatae, quas alia manu inscriptas reperies: at non possum tamen, quin totam Friedelii notationem, quoad servata est (duae enim plagulae perierant), cum lucis aliquid huic historiae afferat, adiiciam.

Observandum hic, inquit, *appendicis loco, in gratiam futurorum Dan. Biblio-Philorum, necessarium existimo, Hoc Nostrum PHILOBIBLI-CUM saluberrimum ac utilissimum paulo post fuisse suspensum ac non parum turbatum. Sed quis non videt, aut porro non obscure, si pensaverit, cognoscet, ruinam eiusmodi Sacri Collegii, sub praetextu (non dicam, quo?) profecto summe illegitimo, nobis praeter omnem opinionem esse concitatam. Est certe Diaboli nullum aliud studium, officium, labor, cura, fervor ac zelus, quam impedire saltem, si non plane evertere ea, quae ad veram DEI gloriam promovendamque hominum salutem faciunt. Quid miremur, Honoratissimi Amantissimique dum Collegae, Nostrum hoc Collegium Diabolo placere non potuisse. Edocet Legum Nostrarum Prooemium, in quos fines suscepta fuerit haec Bibliorum amica evolutio atque tractatio: in Theologiae exegeticae (Christianae, verae, non ostentatoriae, mataeologicae, criticae, stramineae, inutilis etc.), piae eruditionis, h. e. potissimum in Novi Hominis incrementum atque in exemplum Sanctae conversationis. Haec non possunt peragi, nisi evertatur regnum carnis, mundi ac Diaboli. An vero talem Satanici regni eversionem sine tumultu patietur Rex tenebrarum? Minime. Ut contra DEUM eiusque cultores eat atque strepitus incredibiles moveat, utilitur saepissime sub praetextu orthodoxiae ac Religionis defendendae his et illis organis. Quorum operâ efficere studet, laborat, allaborat Hostis Tartareus, ut interdum Summi Viri, Patroni, amicissimi, faventissimi, per mendaciorum horribiles machinationes in adversam ac alienam mentem (saepius etiam contra ipsorum opinionem ac voluntatem) raptantur, atque per hos ut Achilleos Orthodoxiae custodes hac ratione vel optimus ac tenerrimus DEI cultus tanquam illegitimus, fanaticus, stultus, imo impius non de iuvante, ita exosculari ac amare studebimus) reducantur. Neque obstrepent Optimi Viri, si ipsos Numen misericordissimum ad agnoscendam Nostram innocentiam dirigere laborat. Atque sic fiet, ut ad labores nostros sacros (ut coeptos, ita continuandos) sub Praesidio Altissimi ac certissimi Ducis ac Doctoris, imo et sub calidissimis precibus ac votis Omnium, qui DEUM eiusque sanctissimum verbum non parvi aestimant, proxime cum maximo animi tripudio redeamus, nosque ad ea, quae*

in vinea Domini (erit hoc Matth. cap. XX. prima lectio in redintegrando Nostro Philo-Biblico) sunt facienda, in nomine trinum DEI quotidie magis magisque invicem per Spiritus S. gratiam praeparemus. Ita cessabimus esse in otio, uti servi non laborantes, nec salutare Scripturae S. scrutinium curantes etc. Et hoc pacto certissime eveniet, ut Ductore et conductore DEO atque ductrice Scriptura Sacra, tum nos ipsi aptiores ac magis constantes (quam hactenus fuimus) ad Imitationem CHRISTI sive ad Novi Hominis veram Restaurationem reddi, tum etiam aliis securam, certam ac infallibilem salutis aeternae viam (non in tanta mentis coecitate, uti multa horrenda mundus habet exempla, sed vere et in luce Divina) monstrare queamus. Faxit Iesus, DOMINUS ac salvator Noster, ac Nobis Omnibus salutarem Verbi coelestis amorem imprimat, omnemque metum, quem tenerrimus hic Amoris affectus abhorret (1 Joh. IV. 18.), ex animis nostris eiiciat. Et hoc per Spiritus S. gratiam ad honorem DEI nostraeque salutis certissimum emolumentum. AMEN.

Quae quidem oratio haud obscure docet, non modo Friedelium magno sane animi ardore inflammatum fuisse, verum etiam ipsa pietatis studia valde suspecta atque ab ipsis adeo Bibliophilis nonnullis conventicula instituta; namque verba, quibus ille conqueritur, *sub praetextu orthodoxiae ac religionis defendendae vel optimum ac tenerrimum Dei cultum tanquam illegitimum, fanaticum, stultum, imo impium* destrui, non ad ipsa exercitia Philobiblica, sed ad conventicula referenda esse, per se patet. Quae autem in ipso rationario rationes a Friedelio redditae subsequuntur, licet aliquot annis post (d. 25. Maii 1692.) inscripta fuerint, ad eandem tamen rem referuntur eamque illustrant atque confirmant. Ab initio enim haec leguntur: *Postea temporis (a mense Februario a. 1690.) collegium hoc continuatum quidem fuit usque ad initium mensis Aprilis anni 1690., quo ineunte ab Excell. Dn. Praeside Museum nobis nonnullas ob causas et quorundam Collegarum novitates fuit denegatum; deinde nimia quorundam Collegarum liberalitas vituperatur, qua fuerit diminuta fisci summa, denique commemorantur Edelmannus, Thimius, Schadius, Friedelius, Wartenbergius et Huffelandtius, qui cancellis notati variis novitatibus suas turbas dederint, quin causa omnino extiterint collegii primum a Dn. D. V. Alberti suspendendi et postmodum prorsus dissoluti.*

Memorantur hic variae novitates earumque auctores. Isti enim nimio pietatis fervore eo abrepti esse videntur, ut non solum, neglecto adeo primario Collegii Philobiblici fine et constitutione, omnia ad solam pietatem referri velent, verum singularibus etiam conventibus exercitiis pietatis indulgerent. Ex

his sôdalibus eum fuisse, qui, Antonio ⁷⁷⁾ teste, anno iam 1689., antequam prima in Magistros aliquot inquisitio ageretur, Collegio suaderet, ut maior, quam huius mos ferebat, usus esset linguae vernaculae ⁷⁸⁾, qua sua quisque cogitata piosque sensus melius et efficacius exprimere posset et ipsa colloquia utiliora fierent, a vero sane minime abhorret. Licet autem turbae, quae inde exortae erant, Antonio intercedente essent sedatae, facile tamen inducor, ut credam, eas postea, crescente usque in sociis illis pietatis fervore, esse iteratas. Alia quidem novitas haec fuisse videtur, quod fiscus Collegii in alios quoque usus insumebatur, quam Lege IX. definitum erat, cum pecunia ex illo pauperibus nonnunquam daretur, maxime propter religionem exulibus et peregrinatoribus a Pontificia ecclesia ad Evangelicam transgressis, id quod rationes in conventibus aestivo et auctumnali an. 1689. exhibitae testantur: sed cum nihil hac de re in rationibus sequentibus relatum sit, inter causas ipsarum turbarum ea vix referri poterit. Maximas contra turbas in Collegio nasci necesse erat, cum sodales haud pauci cancellis notarentur conventiculorum institutorum rei ⁷⁹⁾; suberat enim suspicio, ipsum Collegium impurae flammae Pietisticae focum esse vel Pietistarum seminarium. Quocirca haud multum abest, quin credam, ipsos socios quosdam fuisse, qui, cum huic studio valde repugnarent, Valentino Alberti, ut vidimus, persuaderent, ut praesidio sese abdicaret.

Qua de re cum Spenerus per Bibliophilum quendam, Stollium, certior factus esset, magno affectus est dolore; speravit tamen, fore ut Olea-

77) l. c. p. 11. 29. 32.

78) Ipsi Collegii legibus usus huius linguae non erat vetitus, neque Antonius p. 11. negat, colloquiis certe de lectionibus institutis Germanica interdum immixta fuisse.

79) Hanc rem Spenerus respexisse videtur, ad Rechenbergium iam d. 14. Ian. 1690. scribens: *Aliquos ex Optimi Franci nostri auditoribus terminos ab ipso sercatos transgredi, auditu iniucundum est: experimento tamen didici proprio, difficile esse continere animos aliquo zelo incensos, ne nonnihil excedant, donec iterum, modo non cum causae pie dispendio, in ordinem redigantur: quod prudentia illius fieri, quam maxime opto.* — Schadium, Thimium et Friedelium conventicula eiusmodi habuisse, ex epistolis nonnullis Rechenbergii ad Spenerum a. 1690. datis intelligere licet. Die enim 28. Aug.: *M. Schadeus*, inquit ille, *si inauditus damnatur, innocentiae testimonium habebit certissimum apud externos, ad quos ipsum confugere oportebit*; d. 29. Sept.: *M. Schadium iam monui, caveret sibi, ne plures simul admitteret in museum studiosos*; d. 23. Oct.: *Optimum tuendae existimationis medium fuerit amnestia, praesertim cum auctores turbarum videri nolint errasse.* Postea relatio Academiae ultima de Schillingo et *M. Fridelio* memoratur; die non indicato: *M. Thiemi*, ut audio, *Erffurtum* excurreret, comite *M. Schadio*, quod nollem fieri propter calumnias, quae inde spargentur. Cf. praeterea Loescher, *Vollständiger Timotheus Verinus*, P. I. p. 46. P. II. p. 133 sqq.

rius praesidium, quod Rechenbergius iam detrectaverat, in se susceperet, quem habebat huic rei tempore illo turbulento aptissimum. Quapropter ad Rechenbergium d. 4. April: Collegium Philobiblicum, inquit, dissolutum a D. Alberti, miror et non miror, utriusque enim causae sunt. Quod eius caput esse renueris, factum est rectissime. Ego vero illis suaserim, ut D. Olearium praesidem sibi asciscant, a quo nemo ipsum prohibere ausit; hic enim eius servandi tantum non unicus est modus. Literis enim si Senatus Ecclesiasticus compelletur, vereor, ut aliquid obtineant, inprimis si meam auctoritatem alligent, quod totam rem maxime gravabit. Hoc quaeso M. Stollio nostro, qui hac causa ad me scripsit, addita salute indica, et per ipsum reliquis. Si credas prodesse, proxima vice D. Oleario responsurus ad suas, hanc etiam addam meo nomine petitionem, ut directionem istius in se suscipiat. Ad ipsum Olearium hac de re d. 7. April. ita scribit: — Zu E. Hoch Ehrw. collegio über die Epistel an die Colosser wünsche ich ferner göttliche kräftige gnade und liecht des heil. Geistes zu vieler frucht der zuhörer. Wie sie sich aber bisher haben lassen angelegen seyn, die erbauung der studiosorum und dero erkänntnis in Gottes wort zu befördern, so hätte jetzund dieselbe eine schöne gelegenheit, sich ferner um dieselbe wol verdienet zu machen, da sie das praesidium des Collegii Philobiblici, so bisher ihrer vielen solchen nutzen geschaffet, dass sie ihr lebtag Gott davor zu danken nicht vergessen werden, und jetzt Hr. D. Alberti demselben sein praesidium und Hauss entzogen oder aufgesaget haben soll, zu übernehmen belieben wolte. 1. Kan demselben dergleichen praesidium niemand mit recht verdencken, indem es ein stück deroselben offentlichen amts ist, allerley collegia zu halten, und also auch andere exercitia, wie in disputationen geschiehet, zu moderiren, so vielmehr da Hr. L. Rivinus wirklich noch dergleichen ein collegium in seinem hauss unter seiner inspection halten lüset. 2. Wo dieselbe ja in den Legibus, so ich zwar nicht vermulthe, möchten einiges sehen, welches sie verbessert verlangten, stehets denselben frey, einiges besser einzurichten. 3. Unter denen übrigen Herren Professoribus Theologis sehe ich keinen, welcher dazu besser sich schickte, nachdem sie alle mit andern geschäften mehr überladen sind. Hingegen 4. sollte es ihrer Universität und Theologischen Facultät anderwertlich keinen rühmlichen nachklang geben, wann es heissen würde, da man studiosis ohne inspection eines Professoris eine übung des studii Exegetici zu verstatten, bedencken hat, dass auch der Professorum sich keiner dazu verstehen wolte, gerade als wolte man die begierde der studierenden, so sich in göttlichem wort gern zu üben verlangen, mit fleiss dämpffen, so wir ja nimmermehr werden von uns wollen sagen lassen. Diese momenta halte so wichtig, dass sie einen mann, dem es um

die ehre Gottes ein ernst ist, davor ich dieselbe erkenne, billich bewegen sollen, eine dergleichen geringe, aber so nützliche mühe willig auf sich zu nehmen, und nicht zu achten, wenn er auch einen unwillen eines oder des andern in so gerechter und billicher sache darüber erfahren müste, so alles durch die statliche frucht, welche davon zu erwarten, reichlich ersetzt werden, und gewisslich der Herr Herr eine solche treue nicht unvergolten lassen würde. Derselbe aber selbs schaffe an allen orten alles, wodurch seine ehre am nachdrücklichsten befördert, und sein reich so wol immer weiter ausgebreitet, als fester in den hertzen gegründet werden mag. In dessen weise regierung, mächtigen schutz und milden segnen dieselbe treulich erlasse⁸⁰⁾. — Die 8. April. Rechenbergio nuntiat: D. Oleario scribo, respondens ad priora et eum ad suscipiendum praesidium Collegii Philobiblici hortans: spero, quod morem geret, cum, qui ipsum prohibere possit, nemo sit, inprimis L. Rivini etiam exemplo obversante adhuc oculis. Suasi vero M. Stollio nostro, cum consultum futurum sit, ut aliquis non solum auctoritatem et nomen commodet, verum etiam praesentiam ordinariam, ut honorarium ei hac causa decernatur, ac ita Collegium illud, quandoquidem omnino ita requirunt, magis ad speciem reliquorum reducat. Literis vero ad Stollium eodem die datis⁸¹⁾ suadet, ut Lectores Collegii ab Oleario praesidium petant, optans, ut non solum auctoritatem atque nomen Praeses (ut Alberti) commodet, verum semper praesens existat, saltem rarius absit.

Sed quamvis Olearius mitior esset causae Pietisticae index atque adeo ipsius Antonii socer⁸²⁾, tamen temporis rationes suadere ei videbantur, ne provinciam hanc susciperet⁸³⁾. Turbae enim Pietisticae, a quibus ipsum Collegium, ut vidimus, non plane alienum fuerat, adeo non compositae erant, ut periculum esset, ne magis exardescerent latiusque diffunderentur; suos autem collegas vir ille pacis concordiaeque amantissimus offendere nolebat, praesertim cum facile esset suspicatu, Carpzovium, ut omnibus Pietistis, sic inprimis Spenero infensissimum, mox (id quod hoc ipso anno 1690. et proxime sequentibus tum programmatibus tum aliis scriptis revera factum est) in hunc verae pietatis Christianae doctorem et patronum, Principis gratia iam tunc carentem, eiusque amicos contumeliosissime inveciturum esse. Primi autem Collegii conditores ad instaurandum illud vix quicquam facere poterant; An-

80) Vid. Speneri *lectae theol. Bedencken*, T. III. p. 326 sq.

81) Vid. Append. I. D.

82) Inde ab anno 1689. vergente. Vid. Antonius l. c. p. 127.

83) Ibidem p. 128 sq.

tonius enim ineunte iam anno 1690.⁸⁴⁾ munus summi sacrorum apud Rochlitienses antistitis auspicatus erat; cum autem mense Septembri ad defendendam⁸⁵⁾ pro licentia theologica disputationem inauguralem *de autoritate ecclesiae, qua mater est, ex Hos. II. 2.* Lipsiae versabatur, aliis negotiis nimis occupatus erat, quam ut Collegium instaurare valeret, cuius rei curandae, vigentibus adhuc turbis Pietisticis, minus opportunum esse tempus, facile erat intellecturus. Franckius autem (qui initio huius anni ex itinere, mense Decembri proxime praeterlapsi in comitatum Mansfeldicum, Altenburgum, Cizam, Ienam et Erfurtum suscepto, redierat et, ne theologos Lipsienses ad maiorem iram irritaret, tum nonnisi philosophicum collegium *de educatione et informatione aetatis puerilis et pubescentis* instituerat, tum, Speneri consilio⁸⁶⁾ obtemperans, conventiculis abstinuerat) mense iam Febuario⁸⁷⁾, nuntio perlato de avunculi Gloxini obitu, Lubecam profectus est, et haud ita multo post ad munus ecclesiasticum administrandum Erfurtum abiit⁸⁸⁾. Schadius denique licet Lipsiae maneret, usque dum mense Novembri a. 1691. Berolinum vocaretur⁸⁹⁾, ubi Spenerus iam mense Iunio munera ipsi demandata adierat: tamen, cum in tantam Pietismi suspensionem venisset, ut ne ad examen quidem theologicum, quod petierat, admitteretur, omni consortione societatis Philobiblicae restituendae ipsi esse abstinendum probe cognoverat.

Quae cum ita essent, Collegium illud, quod per quatuor fere annos omne studium ad scripturam sacram contulerat, per reliquam anni 1690. partem ia-

84) Guericke l. c. p. 53. falso 1691.

85) d. 17. et 18. Sept. Vid. Antonius l. c. p. 13. — Lectiones cursorias super *Hos. I.* 10. 11. iam ineunte Novembri 1689. habuerat. Ibidem p. 9. — Walchius l. c. p. 585 sq. hanc totam rem minus recte exposuit, quem multi deinceps scriptores secuti sunt, atque adeo Planckius l. c. p. 205.

86) Spenerus ad Rechenbergium d. 4. Febr. 1690: *M. Francum rediisse, lubens intellexi, non aequae, quod conventus celebrentur promiscui civium, cum ea ex re haud dubie motus orituri sint gravissimi et quibus facile alia bona everterentur consilia. Non omnia, quae absolute licent, hoc et illo loco atque tempore prosunt. Serio ergo ipsum monebis, ut non tam sibi quam aliis parcat et bonum ita promoveat, ut non graviora sequantur mala.*

87) Spenerus iam d. 7. Febr. 1690. ad generum suum: *D. Gloxini mortem invitatus audi; consilium autem Lubecam invisendi, atque dein Erfurtum aliquamdiu sedem sibi legendi, omnino probo. Deus suo ipsum ducat spiritu.* Falso igitur eam rem idem refert in libello: *Wahrhaftige Erzählung*, p. 51.: *umb Joh. 1691.*

88) Spenerus d. 6. Iun. 1690. ad Rechenbergium: *M. Francum Erfurti vocatum et ordinatum gaudeo.*

89) Spenerus d. 21. Nov. ad eundem: *M. Schadium superiori septimana Deus mihi collegam eligi fecit.*

cuit, neque spes ulla per hoc temporis spatium affulsit, fore ut unquam in vitam revocaretur, quantumvis Spenerus d. 10. Oct. 1690. eius restaurandi eique ex Professoribus praesidem praeficiendi et utilitatem et necessitatem ipsi Electori Saxoniae explicuisset⁹⁰⁾.

Adscripti autem Collegio Philobiblico fuerant hi sodales:

1) Paulus Antonius, Zittavia-Lusatus⁹¹⁾.

Accessit d. 18. Iul. 1686. (classi Graecorum), discessit d. 26. April. 1687., Serenissimo Principi, Friderico Augusto, Duci Saxoniae, a concionibus in itinere esse iussus. Ephoriae Rochlitiensi Praepositus a. 1689., a consiliis ecclesiasticis et sacris aulicis Isenacensibus a. 1692., Theol. Prof. Ord. in acad. Halensi 1695., Doct. Theol. 1698. Obiit d. 19. Oct. 1730.

Cf. Ioach. Lange, Progr. in funere Antonii. Hal. 1730. 4., etiam in: *Auserte-sene theol. Bibliothek*, St. 52. *Neue Zeitung von gelehrten Sachen aufs J. 1731.* p. 902 sqq. *Beyträge zum Bau des Reiches Gottes.* Dav. Fasmann, *Leben Augusti II.* p. 20—99. Heine, *Rochlitzer Chronik*, p. 187 sqq.

2) M. Godofredus Springerus, Vratislavia-Silesius.

Acc. d. 18. Iul. 1686. (classi Graec.), disc. 1688. nundinis Paschalibus (mens. April.). — Ulrici, Ducis Olsnensis in Silesia, concionator aulicus et diocesanos in Ducatu Olsnensi Superintendens.

3) M. Ioachimus Christianus Westphal, Neo-Ruppino-Marchicus.

Acc. d. 18. Iul. 1686. (class. Graec.), disc. mens. Iun. 1689. Obiit Guelpherbyti 1690. — (Secundum Ioacherum scripsit libros historici, philosophici et physici argumenti.)

4) M. Iohann Ioachimus Möllerus, Sommerfelda-Silesius.

Acc. d. 18. Iul. 1686. (class. Graec.), disc. conventu vernali (d. 1. Maii) 1689., vocatus ad Archidiaconatum ecclesiae Crossensis. Obiit d. 23. Febr. 1733.

5) M. Iohann Christoph Wichmanshausen, Hsenburgensis-Saxo.

Acc. d. 18. Iul. 1686. (class. Graec.), disc. conv. vern. (d. 2. April.) 1688. — In Acad. Viteberg. Prof. extraord. Linguae Graec. et paulo post Prof. Ord. Poes., 1699. Prof. Ling. Oriental. Obiit d. 17. Ian. 1727.

6) M. Augustus Hermannus Francke, Lubecensis.

Acc. d. 18. Iul. 1686. (class. Hebr.), disc. d. 19. Oct. 1687., acc. denuo conv. vern.⁹²⁾ 1689., disc. m. Febr. 1690⁹³⁾. — Diaconus eccl. Erfurtensis 1690., Prof.

90) *Theolog. Bedencken*, T. III. p. 801.

91) Ioacherus, *Gelehrten-Lexicon*, affert, Hirschfeldae eum in Lusatia superiori natum esse.

92) Ut mihi videtur, iam mens. Martio, cum mens. Febr. exeunte Lipsiam redisset. Vid. p. 22 sq. et Not. 52.

93) Vid. p. 35 et Not. 87.

Graecae et Orientalium Linguarum in acad. Halensi et Past. suburbii Halensis, cui Glaucha nomen est, 1692., Theol. Prof. Ord. 1698. et Past. ad aedem Ulricianam 1714. Obiit d. 8. Iun. 1727.

Cf. *August Hermann Francke. Eine Denkschrift zur Sæcularfeier seines Todes. Von D. Heinrich Ernst Ferdinand Guericke. Halle 1827. 8.*

- 7) M. Gottfried Gleitsmann, Weissenfelsensis.

Acc. d. 18. Iul. 1686. (class. Hebr.), disc. conv. auctumn. (m. Oct.) 1688. Vocatus ad Rectoratum Cizensem.

- 8) M. Christianus Heiderus, Numburgensis.

Acc. d. 18. Iul. 1686. (class. Graec.), disc. conv. aestiv. (m. Iun.) 1688.

- 9) M. Christianus Zoëga, Holsatus ⁹⁴).

Acc. d. 25. Iul. 1686. (class. Hebr.) et mansit ad Collegii dissolutionem a. 1690. — Past. Dockeranus prope Oldenburgum constitutus.

- 10) M. Iohannes Ernestus Müllerus, Berga-Thuringus.

Acc. d. 24. Oct. 1686. (class. Hebr.), disc. conv. d. 3. Febr. 1689. habito. — Conrector, postea Rector gymnasii Rudolphopolitani.

- 11) M. Hermannus von der Hardt, Osnabruga-Westphalicus.

Acc. d. 23. Ian. 1687. (class. Graec.), disc. conv. vern. 1688. (ex Pacto iam conventu d. 10. Ian. 1687. Vocatus 1688. a Rudolpho Augusto, Duce Brunsvic., ad bibliothecam et literas secretas curandas; 1690. Prof. Lingu. Orientali. in acad. Hemstad. et 1702. bibliothecae Praefectus. Mortuus est d. 28. Febr. 1746. Cf. *Hist. bibliothec. Fabric. P. II. p. 342 sqq. 351 sq. P. V. p. 358.*

- 12) M. Daniel Ringmacher, Ulmensis.

Acc. d. 30. Ian. 1687. (class. Graec.) et mansit ad Collegii finem. — In gymnas. Ulmensi Prof. Moral. 1690., Past. Iungingensis 1694., Diac. ad aedem Trinit. 1696., Past. ibidem 1699., Ecclesiastes in templo Ulmensium parochiali 1711., iudicii matrimonialis Assessor, Scholarcha et Senior 1714. Obiit d. 8. Aug. 1728.

- 13) M. Christophorus Samuel Martini, Dresdensis ⁹⁵).

Acc. d. 16. Febr. 1687. (class. Graec.), et mansit ad Colleg. finem. An. 1690. Diacon. Neostadiensis prope Pirnam, 1694. Past. et summus sacrorum apud Liebenwerdensens Antistes (1695. Doct. Theol. Viteberg.). Mortuus est d. 5. April. 1726. Cf. *Mich. Ranffts Leben und Schriften aller Chursächs. Gottesgelehrten etc. T. I. p. 643 sqq.*

- 14) M. Clemens Thime, Cizensis.

Acc. d. 16. Febr. 1687. (class. Graec.), disc. nundin. noviennii 1690., vocatus ad conciones itinerarias Sereniss. Dn. Ioh. Georg. IV., Princip. Electoral. — Archidiacon. Wureen. 1690., Past. et Superint. Coldicens. 1694. Obiit 1732.

94) Haderslebia oriundus secundum Ioecherum.

95) Langenbruca prope Dresdam oriundus sec. Ioecherum.

Cf. *Dietmann, Die Priesterschaft in dem Curfürstenth. Sachsen*, T. V. p. 673.
Richter, Allgem. biogr. Lexikon alter und neuer geistlicher Liederdichter, p. 407.

15) M. Christianus Gödick, Wratislaviensis.

Acc. d. 23. Febr. 1687. (class. Graec.), disc. conv. vern. (d. I. Maii) 1689.
 — Past. Schwarzaviensis. (Scripserat de attributis Dei ex lumine naturae cognoscibilibus. Lips. 1685.)

16) M. Carolus Samuel Senff, Stolpensis. (Stolpena-Misnicus.)

Acc. d. 23. Febr. 1687. (class. Graec.), disc. conv. auctumn. (m. Oct.) 1689. —
 Eccl. Stolp. Diacon. 1692., Archidiacon. 1696., Past. 1723. Obiit 1729.
 Cf. *Dietmann l. c.* T. I. p. 204.

17) M. Georgius Henricus Götze, Lipsiensis.

Acc. d. 23. Febr. 1687. (class. Graec.), disc. conv. auctumn. (d. 10. Oct.) 1687.
 — Aliis muneribus Vitebergae, Burgi, Chemnitii, Dresdae et Annabergae functus,
 1702 Past. et Superint. Lubecensis. Obiit d. 25. April. 1728.

18) M. Christophorus Stralius, Brandenburgensis.

Acc. d. 8. Martii 1687. (class. Graec.), disc. conv. d. 3. Febr. 1689. habito.

19) M. Johann Georg Hattenbach, Salzungen-Hennebergicus.

Acc. d. 30. Martii 1687. (class. Hebr.), disc. m. Ian. 1690.

20) M. Andreas Friedel, Scaudicio-Cizensis.

Acc. d. 25. Iun. 1687. (class. Hebr.), mansit ad Coll. dissolutionem a. 1690.
 Cf. *Grubner, Hist. Nachricht von den Geschichtschreibern der Städte Naumburg und Zeitz*, p. 35 sq.

21) M. Iohannes Caspar Schad, Schleusinga-Hennebergicus⁹⁶⁾.

Acc. d. 2. Nov. 1687. (class. Hebr.), mansit ad Collegii finem. — Constitutus Diacon. ad aedem Div. Nicol. Berolinensem a. 1691. Obiit d. 25. Iul. 1698.
 Cf. *Gottfried Arnold, Das Leben der Gläubigen*, Append. III. p. 111 sqq.
Reiz, Historie der Wiedergeborenen, T. V. p. 238 sqq.

22) M. Gottfried Edelmann, Marcklissa-Lusatus.

Acc. d. 28. Oct. 1688. (class. Graec.), disc. nund. Mich. 1689. — Past. Holzkirchensis 1690., Geilsdorfensis 1693., Diacon. Laubanensis 1696., Past. substit. 1706., Past. prim. 1707.

Vid. *Memoria Heidenreichiana*. Lips. 1717.

23) M. Henricus Pipping, Lipsiensis.

Acc. d. 28. Oct. 1688. (class. Graec.), disc. an. 1689. vergente. — Ad aedem Thom. Lips. concionator Sabbathicus a. 1693., ibidem Subdiacon. 1699., Diacon. 1702., tandem supremus concionator aulicus, Consist. assessor et Theol. Doct. 1709. Obiit d. 22. April. 1722.

96) Kühndorffio oriundus sec. Iöcherum.

- Cf. *Orat. parent. Henr. Klausing*. Lips. 1722. *Nova literaria* a. 1722. *Suppl. act. erudit.* p. 161 sqq. *Gleichen, Annal. eccl.* T. II. p. 567 sqq. *Ranfft* I. c. T. II. p. 917 sqq. *Dietmann* I. c. T. I. p. 1377 sqq.
- 24) M. Ludovicus Ioachim Stollus, Rochspoleto-Alsatus.
Acc. d. 3. Febr. 1689. (class. Hebr.), mansit ad Collegii dissolutionem. — Obiit Lipsiae variolis decumbens m. Aprili⁹⁷⁾ 1690.
- 25) M. Ernst Christian Wartenberg, Lipsiensis.
Acc. d. 10. Febr. 1689. (class. Graec.), mansit ad Collegii finem a. 1690. — Subrector Berol. 1690., Curator sacrorum militarium 1694., Past. eccl. Hohenzeidensis prope Stettinum 1699. Obiit post ann. 1720.
- 26) M. Polycarpus Elias Huffelandt, Tenstadio-Thuringus.
Acc. d. 10. Febr. 1689. (class. Graec.), mansit ad Colleg. finem a. 1690.
- 27) M. Aegidius Hochmuth, Kirchberga-Misnicus.
Acc. d. 20. Mart. 1689. (class. Graec.), mansit ad Coll. dissolutionem a. 1690.
- 28) M. Albertus Ephraim Hempelius, Francohusa-Thuringus⁹⁸⁾.
Acc. d. 20. Mart. 1689. (class. Graec.), mansit ad Coll. fin. a. 1690. — Past. Nordhus. 1692., Doct. Theol. Viteberg. 1711. Obiit d. 25. Mart. 1722.
- 29) M. Ioh. Hartmannus Scheiblerus, Lennepa-Montanus.
Acc. d. 27. Mart. 1689. (class. Hebr.), discessit auctumn. tempore eiusdem anni.
- 30) M. Conradus Daniel Fricke, Ulmensis.
Acc. d. 14. Aug. 1689. (class. Graec.), mansit ad Coll. dissolutionem a. 1690.

Magnam hoc Collegium Philobiblicum attulisse ecclesiae Evangelicae utilitatem, nemo non, qui aequius ea de re iudicaverit, facile concedet. Etenim per hanc consociationem eiusque consortes non modo studium Biblicum, tamdiu in ecclesia Evangelica misere neglectum et sopitum, in vitam revocatum est, verum melior etiam theologiae exegeticae status praeparatus, cum, ruptis, quibus constricta ea tenebatur, Scholasticae doctrinae et methodi vinculis inque auxilium vocatis idoneis subsidiis, in sensum literalem textusque connexionem inquirere discerent interpretes, convertendo autem scripturam sacram in usus practicos applicandoque ad pietatem multo efficacius doctores vi verbi divini commoverunt hominum animos. Qui quidem fructus non confestim apparere: at vero quo plures iuvenes sincero librorum sacrorum amore

97) Obiitum eius Spenerus iam in epistola d. 22. Apr. 1690. ad Rechenbergium data deplorat. In rationario mensis Maius indicatur.

98) Rossia-Stolberg, oriundus sec. Adelungium, continuatorem lexici Ioecheriani.

in Collegio illo incensi erant, quo plures inde prodierant ad alios pari vel simili amore implendos apti, quoque plures haec studia hic illic erant imitati⁹⁹): eo

99) Spenerus iam d. 25. Febr. 1687. optaverat, ut plura Collegia Philobiblica inter studiosos Lipsienses existerent, ad Rechenbergium ita scribens: *M. Hardtius* (Hermannus von der Hardt, qui d. 23. Ian. eiusdem anni in Collegium Philobiblicum cooptatus erat) *utique, qui collegium (aliud) Philobiblicum regat, aptissimus est: sane ex epistola ab ipso ad amicum scripta talem de eo opinionem concepi, ut nesciam, quem ei ex amicis praeferam.* Mox, et quidem hoc ipso anno 1687. duo alia Collegia Philobiblica Lipsiae condita sunt, quae sibi suas quaeque statuerunt leges, alterum, cui Spenerus literis hoc anno vernacule scriptis (*Theol. Bedencken*, T. IV. p. 180—182.) suadet, ut ex Novo Testamento breviorē aliquam epistolam interpretandam sibi sumat et ad practicos piosque usus accomodet, alterum, cui idem Latinam epistolam (quo anno, non constat) scripsit, (*Consil. theol. Lat. T. I. p. 286 sq.*), ex qua haec tantummodo verba afferam: *Unde optimum factum, quod, cum duo priora Collegia, quae eundem sibi scopum praefixerent, lectoribus et auditoribus, quantum satis est, abundent, tertium institutis, quo priora non turbantur, sed iuvantur potius, amica, quantum ex lectione legum recorder, communicatione invicem sancita.* Ad idem Collegium duae quoque Speneri epistolae referendae esse videntur, altera d. 23. Iun. 1688. (*Consil. theol. Lat. T. II. p. 665 sq.*), altera d. 12. Febr. 1689. data, qua Collegio eiusque industriae ex animo gratulatur atque felices successus ex benedictione coelica precatur, quod divinarum literarum studio animum illud avocare soleat ab Scholasticae theologiae iterum in ecclesiam Evangelicam irrepentis amore. (*Consil. theol. T. II. Lat. p. 678 sq.*). Alterius utrius Collegii exercitia Tilemannus Andreas Rivinus, Theol. Licent., Hebr. Linguae Prof. et ad aedem Thom. Archidiaconus, a. 1690. moderatus esse videtur (Vid. Speneri epist. ad Olearium p. 33 sq. allata). Utrumque vero Collegium iam a. 1687. initum fuisse, Speneri literae d. 29. Febr. 1688. scriptae docent, quae utriusque originem ex eo Collegio, quod Alberti regat, repetunt et similia Collegia huius exemplo Ienae et Vitebergae iam conciliata esse commemorant (*Letzte theol. Bedencken*, T. III. p. 348.). — Praeterea Collegium Philobiblicum Lipsiense eiusque sodales quosdam et id effecisse, ut aliis quoque in Academiis Biblica studia a doctoribus resuscitarentur, certissimum est. Exempla nonnulla iam a. 1689. Spenerus affert; nam d. 20. Dec. genero suo nuntiat, *D. Maium, Giessensem Professore, collegium in epist. ad Rom. in vernacula lingua habendum intimasse* (Cf. etiam *Theol. Bedencken*, T. I. p. 94.), et d. 23. Dec.: *Interim cum vel nunc etiam Wittebergae D. Waltherus exegesis tractare velit, nonne Franco debemus, quod dormientes excitaverit?* — Ipsi etiam theologi Lipsienses a. 1690. coeperant scholas exegeticas diligentius habere; namque cum Spenerus in praefatione ad *Dannhaueri tabulas hodosophicas*, d. 10 Febr. 1690. data, quae agit de impedimentis studii theologici (recusa in *Consil. theol. Lat. T. I. p. 200 sqq.*) leges Electoris Augusti laudasset, quibus theologiae Professoribus officium iniunctum esset sedulo studiosis libros sacros explicandi: praeter Olearium etiam Carpzovius collegia exegetica aperuit nominatimque interpretationem Iesaeae, ante viginti fere annos interruptam, iterum aggressus est. (Vid. Ioach. Lange, *Erläuterung der neuesten Historie bey der evangelischen Kirche*, p. 21 sp., et *Lebensbeschreibung Speners*, p. 119.). Quare Spenerus d. 28. Mai 1690. ad Rechenbergium: *Mea interest scire, quanam intra quadriennium et quod excurrit lectiones et collegia Theologorum vestrorum fuerint. In apologia*

maiora huiusmodi commoda ipsi ecclesiae Evangelicae sunt parata. Quamquam illius aetatis Pietismum, qui dicitur, a Collegio Philobiblico ex parte profectum, maculis quibusdam adpersum fuisse et magis magisque in dies degenerasse, nullo pacto potest negari: maximam tamen vim habuit pariter ad disciplinas theologicas, praecipue practicas, atque ad ipsius ecclesiae Evangelicae salutem. Huius autem vis et efficacitatis haud minima pars debetur sane Collegio Philobiblico Lipsiensi.

APPENDICES.

I.

Epistolae Speneri ad Collegium Philobiblicum scriptae.

A.

Ad M. P. Antonium de studio Biblico, quod aliqui apud M. P. A. convenientes habeant).*

Illud porro inprimis in literis tuis me delectavit, quod video et Te ipsum singulari studio in sacrum Codicem ferri, et ad eandem diligentiam alios isto exemplo commotos, dum scribis, aliquot Magistros singulis Dominicis apud Te convenire et exercitium Biblicum instituere. Pergite, optimi, hac via ad Coelum iri, imo hac etiam semita ad veram et internam Theologiam penetrari certissimi. Cum alioqui, si quid academiis plerisque defuit, hoc defuit, quod Biblicum studium, si non neglectum, certe aliis plerisque postpositum est. Unde superiori anno illustris Seckendorffius in libro suo, quem de Christianorum statu edidit, rectissime colligit, si defectibus gravibus admodum Ecclesiae nostrae medela adhiberi debeat, post visitationem

adversus M. Francum iactant suam diligentiam: vellem ergo ex fida relatione et certa scire, quid veri subsit, et quid singuli Professores publice et privatim docuerint, ut ex in sententiam ferre possim, muneri suo diligenter satisfecerint nec ne; inprimis quousque D. Carpzovius in Esaia suo iam profecerit, nec non quae ratio collegii privati sit, quod instituit in epistolas Paulinas; praeterea cum D. Alberti Theologiae Professor sit extraordinarius, quid eo nomine dignum agat publice vel privatim.

* Haec est epistolae inscriptio in schedula. (Vide, quae p. 11 sq. et Not. 19. de hac re commemoravi). In *Consil. theol. Lat. T. I. p. 243—245.* sic inscripta legitur: *Laudatur amici Academici studium Biblicum et institutum cum aliquot commilitonibus exercitium, cuius circa methodum quaedam observantur, ex usu methodi Francofurtensis.*

F